


  

 Um in Actis Eruditorum Lipsiensibus nupero Junio e-  
 narratus esset *Claudii Fleury Presbyteri & Abbatis, olim*  
*Præceptoris Principum de Conty in Gallia Tractatus*  
*de selectu & methodo studiorum*, ejus generis occurrere  
 videbantur judicia, quæ libelli propius inspiciendi deside-  
 rium facile provocarent. Ac ubi facta esset ipsius copia, prout recusatus  
 fuit Bruxellis anno 1687, inter singularem legendi voluptatem id erat  
 quàm gratissimum, de studiis ea plerumq; notari, quæ nos vel in li-  
 bellis passim editis, vel in privatis quoq; discursibus ad auditores no-  
 stros sæpe monuissemus. Unde cum NOVI CONSULIS, nuper  
 ad Regimen iterum vocati, veneratio gratulabundam Gymnasii so-  
 lennitatem, ex more jamdudum recepto, postularet, ex eodem scri-  
 ptore depromi argumenta posse, tum exercitiis oratoriis, tum cæteris  
 bene precandi officiis, quàm commodissima, libenter credebamus. Si-  
 ve enim CONSULI publicis incrementis dedito, gratissimum esse so-  
 let, quicquid ad posteritatis curam, h. e. ad publicæ salutis certitudi-  
 nem dirigitur; sive SCHOLARCHAM id præ cæteris afficit, quod  
 ad solidum, curiosum & accuratum informandi modum pertinet;  
 seu deniq; qui ERUDITIONEM abstrusiorum in pretio habet ipse,  
 facere non potest, quin juvenes ad similem proficiendi cursum gra-  
 faturos, benigno semper favore complectatur: nullibi certè feliciorum  
 loqvendi & vovendi occasionem affulgere judicabamus, quàm si  
 mentem nobilissimi Scriptoris è nostris auditoribus aliqui, succinctis  
 oratiunculis exponerent. Et vero, si benignis Lectoribus aliquem  
 ejus rei prægustum debemus, cum de studiis agere videatur *non prin-*  
*cipalibus*, quæ Theologos, Jctos, Medicos ad ultimam perfectio-  
 nem deducunt, *sed preparatoriis* quæ, sublimioribus recipiendis, inge-  
 nia disponunt: in tres classes omnia digerit, quæ ad præparandum ho-  
 minem nostro quidem seculo nonnihil conferre queunt. Quantum  
 enim assequi mentem licet: aliqua pertinent ad præparationem inge-  
 nii, ne cui justus desit rationis usus: aliqua verò ad vitam civilem, ne  
 quis inter homines suæ reip. vel ineptus vel inutilis habeatur: aliqua  
 tandem ad ipsam eruditionem, si quis inter cives eminere, viriq; docti  
 characterem tueri constituerit. Et fanè quin tribus ejusmodi gradi-  
 bus nostra sedulitas absolvi queat, dubium non est: sive quis confi-  
 derare nos velit, *ut Homines, ut Cives, ut Eruditos*; sive quis ad ho-  
 minis perfectionem id requirit, *ut sibi constet in animo, ut bonus ali-*  
*quando sit Paterfamilias privatim, ut bonus sit in quacumq; sua*  
*functione publicè.*